

RAVENSBERGAE.) Notissimus in Westphalia Comitatus, quem Rex Porussiae *Cliuensi* pariter hereditati acceptum fert; sed quo tempore, qua causa, quo principe, quo Imperatore conditus is atque institutus sit, hoc tantis dubitationibus implicitum reperi, ut certiores fides hic desiderem. Illorum hic operam implorauerim, quorum curis sacra principum scrinia patent, ut *Rauensbergensium* Comitum catalogos ad supplendam huius tituli lacunam publicae luci sistant. Ceterum an. 1530. *Rauensbergi* Comitatus *Gerardo Bergensi* C. accessisse dicitur, parenti *Guilielmi*, qui 1389. primus e *Comite Bergensi* dux effectus est. Ex isto autem tempore iidem *Rauensbergi* Com. qui duces *Bergenses* fuerunt, quos supra descripsimus. Ut adeo, iure *Cliuensis* hereditatis, Porussiae Regi hodie pareat *Rauensbergum*.

An coruus nomini causam dederit, meliori quodam augurio? an vero Bauariae Rauensburgum? Quo iure Bergensi C. obuenit, an matrimoniali, an decreto ac beneficio Imperatoris? Cliuensium rerum ac Westphaliae annalium fides.

DYNASTA RAVENSTEINI.) Brabantiae contermina dynastia ad sinistram Mosae ripam varios possessores habuit, qui in Belgicis annalibus occurrunt. *Adolpho I. Cliuensium duci* an. 1396. in bellis, *lytri* causa captorum hostium, tradunt obuenisse. Exinde eadem iterum *Rauensteini*; quae *Cliuia* fortuna. In qua hereditate nouissimis pactis *Palatino* regio accessit, cuius ditio- nis adhucdum est. Patrocinium eius in ultimo bello ordines Belgici susceperunt, ita tamen, ut nihil supremis iuribus decederet *Palatini*.

Hornios, Falcenburgios, Salmenses, Vornburgios Rauensteini quondam dynastas reperi, indurupta serie nondum, quod sciam, descriptos. Quo iure *Cliuensibus* accesserit? an ut *lytrum*? an vero, ut *Pontanus* habet, matrimonii iure materterrae *Brab. D. Ioannae*? An feudum *Brabantiae*? an summi hodie iuris? Hinc reguli audiunt dynastae. Olim insigne munimentum fuit: sed muri post ex pacto cum *Carolo V.* disiecti.

LAVENBURGI & BVTOVIAE.) Latioris quondam *Pomeraniae* haec dominia fuerant; inde a *Teutonico*
Ord.